

J.K.  
121,  
12.

X 19033 A 4

II n  
3084

GLORIAM ET FELICITATEM  
ELECTORALIS AC DUCALIS DOMUS  
BRUNSVICO-LUNEBURGICÆ, HANNO-  
VERAN. LINEÆ POTISS.

ORATIONE PANEGYTRICA  
GRATULATORIA,

In Inclutæ ad Albim Acad. Wittenbergenfis  
Templo O. SS. ad Arcem,

*Solenni ritu piè prosecutus est,*

*Novembris Die XII. A. CHR.*

*clo loc XCHI.*

GARLEF Meurer /  
Hamb.

WITTENBERGÆ, Prelo GODERITSCHIANO.



xi per Germaniam, ad Italos *Romamq;*, Caput  
Urbium, & n*i* fallor, Orbis, propter antiquis-  
simos à Romulo jam Reges, & potissimum Im-  
peratores, invisendu*m*, & peracta nondum  
solemnissimæ Inaugurationis pompa, (qvam  
Decembri reservabat mensi Cæsar Augustis-  
simus,) effecerant, ut hodierna demum Lux  
religionis debitum à me exigeret. SATORI  
ac STATORI RERUM DEO GRATIÆ  
SOLVANTUR SEMPIERNÆ! QVOD  
INCOLUMEM SALVUMQUE DIEM  
REDDIDIT NATALEM SEXAGESI-  
MUM & V<sup>tum</sup> ENTHEO HEROI!  
GAUDE DUCUM SERENISSIME! SE-  
RENO SIDERE RELUXIT DOMUI ELE-  
CTORALI TUÆ, ATQVE ILLUCE-  
SCAT DIU FELIX GENIALE FESTUM!  
DEVOTISSIME CONCEPTIS EXOPTA-  
MUS PRECIBUS! Sed qvò me vertam pri-  
ùs? aut à qvo exordiar? haud parùm ambi-  
go; dum dicendorum obruor nunc multitu-  
dine. An primùm gratuler de restituta cœ-  
litùs qvieta, qvam infidiarum mille artifex  
ab

ab Occidente turbidis miscere nubibus , in fulmina jam erumpentibus , ad *Raceburgum*, nitebatur, speciosi nominis Legato †? An ex- <sup>tBonrepos</sup> ultem potius, ob reversum cum Conju<sup>g</sup>e Ex- cellentissima, ereptum præsentissimo pericu- lo, Augustalem Principem Hæredē, AUGU- STI Patris Filium ? An verò gratulatum ve- niām submissus cliens, qvōd sub exitum elapsi anni proximi Magnanimus Piissimusque Im- perator LEOPOLDUS (qvem Imperio perenni- prospero abundè cumulet Divina bonitas !) Electoralis dignitatis axiomata , cum Regibus æqviparanda, Domui Tuæ an- tiqvissimæ, illorum, à tot seculorum lapsu, con- sciæ, tot inter studia contradicentium solen- ni ritu contulit Vindobonæ? An denique cum gratiarum actione humili ad Vestra, FRA- TRES PRINCIPES HEROES, Palatina limina adrepam? qvōd immensis Patrem me- um olim dilectissimum beare beneficiis cle- menter voluistis? Tu, imprimis Serenissime GEORGI GUILIELME, Ducum Primo- genite, fecisti, ut, qvâ erat, pro Auctoritate

Cæsar is Familiæq; ve Luneburgicæ Augustio-  
ris, proq; ve libertate Reipublicæ Hamburgen-  
sis, non imaginaria hâc tamen, fide, magnis  
liberatus discriminibus, Honoribus amplissi-  
mis, ab integro conciliatus suis, ornaretur.  
Tacitâ nimirum veneratione plurima præ-  
tervehi in præsens cogor; ne verborum co-  
piâ incurram reprehensionem. Neve tamen  
omnis conticescam, id pro viribus elabora-  
bo, ut ingrati hominis memoriam amoliar,  
& Principali gratiæ submittam servulus Ora-  
tionem. Sive enim Fati ordines remetior,  
seu conspirantium tot invidorum flabra, mi-  
nitantia extrema qvævis, æstimo, solertiam ac  
sapientiam admiror Numinis. Rex Gallia-  
rum hostis cum communi barbarorum, id est,  
Muhammedica colluvie Imperii Romani ju-  
ratisimus, & ( si permitteret divina provi-  
dencia,) eversor, qvid non ausus est huc usq;;  
ut involveret ruinis, ignibus ac cædibus im-  
pleret regiones, urbes, oppida, vicosq;? Qvæ  
non machinatus est consilia, Oratoribus in  
Sveciam, Daniam & Poloniā emissis (ne de-  
plu-

pluribus ad Aulam Ottomannicam, ad Mau-  
ros, Tartaros, maritos prædones dudum  
amandatis, dicam; ) ut, flectere si nequeat Su-  
peros, Acherontamoveret; ut misceret coelum  
terræ (cùm spes universa ad Imperium, qvod  
spe jamdudum devorabat, decollaverit,) )  
ut *Austriæ Archiducalis* florem, veluti Tar-  
qvinius papavera, demeteret. Ut primū certis  
nuntiis accepit, pacta inter Caput & Du-  
calis Luneburgo-Brunsvicensis Domūs mem-  
bra potentissima coalescentia, in mutuum æ-  
terni foederis consensum, claim, palam, proru-  
pit in furoris ultimi excessum. Per superio-  
rem Rhenum numerosi militis exercitum  
*Germaniæ* induxit Paradiso, Sveviæ, Palati-  
natui, agroqve Würtembergico; foedissimâ  
proditione interceptit, qvid? horribili incen-  
dio delevit *Heidelbergam*; pii Electorum  
manibus permisit violentas (Dei hominum-  
qve fideim!) manūs, contra jura Gentium, in-  
ferri; ultra rapidum Danubium, si potuisset,  
progressurus, meditullio *Bavarie* victricia  
illaturus signa; qvæ (cùm quidem non merue-  
rat,

B



rat, suffragiis adversus Cæsarem & Collegas aliquot Potentiores, latis, ) hodiè *Colonensi* atque *Trevirensi* ditionibus minatur. Intel ligitis, opinor, Auditores, Omn. Ord. Hono ratisimi, qvām lata differendi spatia se mihi offerant. Conabor nihilominus, in glori am & gratulationem potius excurrere ELE CTORALIS Domūs Potentissimæ, duosqve unà venerabor FRATRES Serenissimos, si vestram, RECTOR MAGN. Excellentissime Provinciæ Electoralis Praeses, Per-illustres, & Generosisimi Liberi Barones, vosqve, Pa tres item, Hospites Civesqve Academicí, in auscultando patientiam decenter exoravero. **Q**vod præsens ætas audiat, posteritas non deterat oblivione, imò obstupescat, agitur de libertate non Germaniæ solius, sed Europæ Christianæ, tot præterea in hâc Regnum, regionum atque Rerum publ. gloria salute, aris deniqve & focis; qvibus fuerit haec tenus tot inter bella, tot discrimina, tot clades, natus & servatus, ad perniciem Christiani sanguinis, ad infidelium, Turcarum inqvam, Tar taro-

tarorum, Arabum, Æthiopum amplificatio-  
nem & concordiam ubique propagandam,  
Galliarum Rex, omnium Imperator scilicet  
perpetuus, & Triumphator invictissimus.  
Creditis me ludere, ac loqui per ænigmata,  
vel paradoxa, Auditores Venerandi? Nuper  
admodum Lutetia Parisiorum retulit hoc  
monstri. Missus etenim à Rege suo ad Monar-  
cham barbarum Mauritaniæ Legatus, ab O-  
lone divo dictus, idiomate Hispanico, ut juf-  
sus fuerat, Oratione habitâ affatus *Maroc-  
canum Cæsarem Regemque Fessæ, Moulam  
Ismaelem* est: se dignum solo nomine æsti-  
matum, des Durchlauchtigsten/ Hochst-  
vortrefflichen/ Großmächtigsten/ Un-  
überwindlichsten (sufficere hæc possent ha-  
etenūs, pro altero qvodam Sanberib, aut  
Nabuchodnosare. Sed audiamus porrò: alle-  
zeit Siegprangenden und Allerheiligsten/  
Ludwig des XIV. Kaisers von Frankreich  
und König von Navarra, ältesten Sohnes  
der Kirchen/ Beschirmer des Glaubens/ Be-  
schützer

schüßer derer Könige und Souvairenien Überwinder in Europa. Audi superbissimorum osor DEUS! Audi Imperator Optime Piissimeqve LEOPOLDE! Reges Invictissimi Europæ Christianæ reliqui, audite, ac Vos libertatis vestræ vindices, Respublicæ potentiores! Intelligitis nimirum accuratè, qvo se loco, qvo Vos omnes ducat *Hannibal Occidentalis*. Non è trivio Scriptores Gallici, *Blondellus & Auberius* rhetorici splendidè de sui, i.e. Gallici Imperatoris, axiomate fuerunt olim, iniqvisissimi Imperio Romano momi; supra Reges universos Francicum tollentes. Proëdriam LUDOVICI XIV Europæ omnibus antetulit Principibus, *Keuchenius Robertus*, Doctor qvondam ac Jureconsultus Amstelodamensis, in Heroicis carminibus & Triumphante Gallia. Sic assentator nempe cecinit, donatus ob id torqve aureo:

*Aç Tu, Sol Proavum, Sol Illusterrime Regni,  
Sol Gallis exorte tuis, super omnia regnas  
Imperia!*

- - - *Hinc turmis latè Mars Liliger  
instat Au-*

*Austriadum; dum miles acer labefacta  
ferocis*

*Colla Aqvilæ contundat ovans, & sternat ad  
unum*

*Fæderis oforem Hesperium, pavidosque Gy-  
gantas.*

Post Inscriptiōnem insolentis operis sequen-  
tem:

**LUDOVICI. XIV. Christianif-  
simi. Galliarum. Regis. Triumpha-  
toris. Pii. Felicis. Augusti. Fractis.  
Debellatisque. Regnis. Ac. Impe-  
riis. Universâ. Victricibus. Armis.  
Confopitâ. Europâ. Æviternæ. Me-  
moriæ. Sacrum.**

Subjicit, non citra apotheosin:

*Summe Deûm, Ludovice Pater, Rex Maxi-  
me Regum!*

Manum Domini osculaturus inquit:

- - - *Dextramque verendam,  
Quâ pavet & vastus membris tremit omni-  
bus Orbis,*

C

Con-

*Contingo, Ludovice, tuam, Generosa potentis  
Tessera Terrarum Domini, qui sceptra per  
omnes*

*Imperii tractus, & vasti concava Mundi,  
Eminus ostendit. - - -*

Piget, qvæ *Palladius* in bullis suis, aut ampullis arroganter & ad genium Monarchæ Gallicanæ scripsit, pluribus referre. Neve qvis excipiat, privatâ hæc, non Regiâ autoritate evenisse; sciat is, non integra elapsa tria lustra esse, cùm in Arcu Triumphali, ad Antonianam Portam, hæc *Parisiis Inscriptio* promulgaretur:

## LUDOVICUS MAGNUS.

*Cui simul omnia, quæ vixuni, singula contigere:*

*Ortus propè divinus,  
Coæva Regno Victoria,  
Prompti, devotissimi Ministri, &  
fideles;*

*Fiscus integer, bella justa, fortuna  
constans.*

Fra-

Fraetis unà Batavis, perdomitis  
Hispanis,  
Debellatis Germanis , repressis  
Anglis,  
Bello toti Europæ illato , vel o-  
stentato.

Pace tantum , quâ voluit , lege  
fancitâ.

Triumphalem Arcum erexit &c.

Nescio, an à solo, cuius nomen gerit, purpurato  
*Fevilladio* erectus, ante hoc octennium Co-  
loffus, cum Emblematum miraculis ? an ap-  
probanti ( certè præmiis ornanti ) Domino sit  
imputandus ? In quo Aqvilæ à GALLI pedi-  
bus ( proh Dei immortalis fidem ! ) conculca-  
tæ, inter compedes servosq;ve repræsentaban-  
tur. Ante lustri spatum , post expugnatam  
*Philippopolin*, Europæ Victor, sub figura Mar-  
tis coronatus, dexterâ in manu gladium evagi-  
natum , alterâ compedibus revinctum Rhe-  
num gerens, vicinamq;ve Aqvilam perterrefa-  
ctam

Etiam fugans, inter Lilia Laurosqve, & ligatos  
lemniscatis qvercubus Delphinos, inter poin-  
pæ fercula, Lutetiae, ad stuporem usqve publi-  
catus est. Quid superest, qvam ut exclamat  
*Roscius*, applausum canens:

*Sphyngaqz & Harpyjas Serpentigerosqz Gi-  
gantes,*

*Centimanumqz Gygen, Semibovemqz Virum?*  
Dies me deficeret, si plura alia conqvirerem  
elogia fastidiosa atqve fastuosa. Erit tempus,  
qvo vix habitura fidem est posteritas, hæcto-  
lerari potuisse à Principibus Europæ Christia-  
næ maximis. In viridi si fiunt talia, qvid non  
de aridis concipiendum? Si Piissimus Invictis-  
simusqve Imperator cogitur hæc experiri, in-  
audita facta, dicta, ficta, qvid non reliqui pro-  
mittent sibi Principes supremi? Non profectò  
tolerare amplius extremas has injurias blasphe-  
miasqve potuit *Imperio & Cæsari fidissima Du-*  
*calis Brunsvicensium Luneburgensiumqz Do-*  
*mus, maximè Hannoverana.* Hæc enim, uti  
universa jam à plurimis hinc annis contra Tur-  
cicum furorem, *Venetis*, deinde ipsi in Hunga-  
ria,

ria, temporibus diversis oppugnato Cæsari, adversus barbaros, opem operamq;e præsttit insignem; sic potissimum ostendit virium suarum robur, ante annos duodeviginti in Augusta Trevirorum expugnanda, &, adversus Ducem *Creqvium*, recuperanda, multis hosti- um millibus deletis. Totâ trepidatum est Germaniâ, cùm ruptis perfidè induciis, terribile Pannoniis inferret bellum Thracius Tyrannus, impetuq;e gravi ac celeritate patriam à finibus tentaret, Urbem augustissimam occupaturus, nisi Cæsaris amore & periculo ut foederati plures, sic & *Saxones* tulissent opem. Festinabant hostes, castra metabantur, stationes disponebant; alii aliis devictis, integriq;e fatigatis succedebant; nec paulatim atq;e lentè trahebatur res, sed acriter & subitò provolvebatur: muros, vallum, ædes qvatiebant fulminantes machinæ, & nullum respirandi spatiū obsesfis dabant. Nec Urbiuni, aut Regno, sed Imperio pulcherrimo Germaniæq;e universæ, ipsi etiam divino cœtui, religioni, libertati, literis extitum moliebantur barbari. Venerunt Saxo-

D

nes,

nes, primusq;e cum exercitu ELECTOR ad-  
volabat valido , victoria ostentabat signa Scy-  
this, pro honore Christiani nominis dimica-  
turus: socii Poloni copiis ingentibus instabant  
aciei, jam tūm ferè inclinatæ, ac opima refere-  
bant spolia. Tūm proœlium memorabile con-  
silia pervertit hostium, & barbarum furem  
fregit; qvando tale editum est fortitudinis e-  
xemplum, qvod oblivione nullâ unqvam de-  
leatur. Servitus depulsa, & ambitio repressa,  
qvæ gigantes ad injusta concitavit arma. Nihil  
amplius tām credebatur arduum, qvin Saxones  
tentandum sibi ducerent. Victoriam diei hu-  
jus multæ aliæ sunt insecutæ postea: nunc proœ-  
liis, nunc expugnationibus locorum & præsi-  
diorum munitissimorum: *Neowarii*, validissi-  
mi castelli, tot exaggeratis molibus & propu-  
gnaculis superbi, occupatam restitutionem vir-  
tuti debet Luneburgicæ Hungaria à Turcis li-  
berata. Plures ibi expeditiones tacitè præter-  
vehor. Si grata meritorum recordatione ho-  
mines sunt defuturi, propter gesta alibi loco-  
rum, montes ipsos, campos, castra, arces, ur-  
bes

bes, oppida, protestibus adducere liceret, quorum in vicinia & plagiis tot virorum fortium facinora praeclara exstant, qvot vestigia exercitus occurunt. Ipsa testimoniorum affatim suppeditare possunt Flumina; bicornis *Rhenus*, *Mosa*, *Scaldis*, *Isala*, *Visurgis*, *Albis*, *Viadrus*, amoenus *Mænus*, & *Danubius*; ne plures memorem. Nec intra limites Germaniae dunt taxat Luneburgicus Mars claudi poterat, cum peregrinaretur ultra maria, & immittebat legiones Graeciae. Hinc expugnata, Saxonum virtute, *Calamata*, nobile emporium, tum in colis praesidioque potens. *Peloponnesi* re ac nomine *Corona* inter urbes princeps, horum etiam est armis domita. Dux ipse *Brunsvicensis*, primus inter ordines laudatus Italorum, volitavit viator. Formidata omnibus & diu habita invicta Castra Graeciae, *Lepantus* & *Patrassus*, ductu ac auspiciis Archithalassi quidem, *Morosinii*, auxilio Herois tamen *Königs-marckii*, & Leonis Luneburgici, tentata masculè ac superata. Dispensabat munera Excellen-  
tissimus Senatus Venetus, nec non apophore-

D 2

ta

ta, erigebat statuas, inscriptiones adornari procurabat; nihil omittebat gratiarum erga benè meritos. Nec finis prosperi successus; brevi enim & *Malvalia Neapolitana*, Romaniæque altera Saxonis ac Brunsvicensibus victoriis invita offerebat palmas. Hæc adversus barbaros, in longè dissitis provinciis *Hannoveranus Mars*; quid verò non, pro Christiani nominis defensione, in Pannoniis, huc usq; contulit ad summam? tot submissis Legionibus ac supplementis. Magna res omnino hæc, & quæ propemodùm divini aliquid exposcat. Jam uberrima se porrò laudum seges offert, si ad Occidentem Solem convortamus oculos. Qvis nescit, quot quantasque militares copias adversus Gallicos assaultus, variis in regionibus, profinibus Germaniæ tutandis, opposuerit potentior hæc Domus? Neque tamen quicquam adhuc memoravi, ex Familia eadem duos florentissimæ virtutis ætatisque Principes, pro Christiani nominis honore, pro Austriaca salute, sanguinem vitamque fortiter pugnando impendisse. Quot ingentium curarum Admi-

ministri in Comitiis Imperii, pro libertate Patriæ, pro dignitate ordinum, steterunt & pugnarunt acriter. Habuit profectò, habuit non Imperator solus Invictissimus, sed Electorum quoqve Curia suprema caussas oppidò gravissimas, cur præmia decerneret, cur arctiori obligaret vinculo, per tot miracula gestorum magnificentissimorum, Luneburgicos Heroas. Ne fluctuaret in perpetuum & discriminibus objiceretur præsentissimis, complexa charitates omnes, Patria, providit solertissime pro sapientiæ abyssso Cæsar Optimus, ut ad duraturi foederis religionem efficaciter ERNESTUS Dux AUGUSTUS traheretur. Eant nunc, & regerant, qui salutem patriæ in contradictionis ponunt studio, non sine ingrati animi memoria, non sine Majestatis læsione gravi, rem intolerabilem Imperio adductam, contra Ordinum, Legumqve Sanctitatem actum, contra jura Principum Imperii, per præceps, illaudabile, illicitum, consilium, ad fidei Catholicæ (h. e Romano-Pontificiae) oppressionem, Domui Hannoveravo-Brunsvicensi, collatam Emi-

E

nen-

nentiam Electoralem esse. Absit, absit, tām à veritate omni aliena posse cadere in pietatem & justitiam Imperatoris Optimi; qui quāmoderatione semper temperavit cardines Imperii; sic violenter, quantum equidem in sua situm æquitate est, admisit nihil hactenū. Si qvid admissum videatur, pertinet ad jura ejus, pertinet ad Reservata. Agant indulgentiæ Clementissimæ Illius gratias hoc nomine, qvōd cum propriam potuisset inter Pares Curiæ hanc continere Majestatis vim, significationem tam en hujus fecerit communem in Comitiis, Electioni Romanorum Regis, triennio abhinc superiore, destinatis: Non fecisset illud, non <sup>(Tom. 3.  
fol. 441.)</sup> tulisset talia irreverenter dese dici. *Sigismundus* Imperator. Liceat, qvod constitutionibus inseruit Imperialibus *Goldastus*, & jam inculcatum alibi occurrit, huc referre. Accusatus ante hos ducentos sexaginta annos, ab ERICO DUCE LAUENBURGICO, periculosè atq; inconvenienter ad Concilium Basileense, qvōd Saxoniarum semptemviratu ac Imperiali ense meritissimo inauguratus esset FRIDERICUS Bel-

Bellicosus, MARCHIO MISNENSIS, memorabile reliquit, ad posteritatem omnem pertinens, responsum, testibus Imperatoriis, autoritatem summam arguentibus, Tabellis Ulmæ exaratis, Anno Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto. *Cum itaque (hæc verba sunt Augusti Cæsar) officium ac jus a Nobis & Imperio nostro in feudum descendant, ac secundum juris communis dispositionem, nec non usum, morem, stylum, & consuetudinem S. Romani Imperii feudalis contentio per Dominum Feudi ac Pares Curiæ terminanda sit; Liqvet, hanc quæstionem, si quæ prætendi poterit, ad Nostram, & Illustrium Archi-Principum nostrorum, S. Romani Imperii Electorum pertinere notionem.* Premium fortassis operæ facturus sum, si ex Goldastore referam Imperatoris verba, Augustissimo proleta ore animoque: *Mentibus vestris firmiter inculcare volumus, & in thesauro memoriæ vestræ reponi tenaciùs, & nihilominùs per organa vestra, in omnī Orbe diffundi, quò liquidiùs cunctis innotescere queat, causam hujusmodi ad Nostrum & Parium Nostræ Curiæ, respectu ipsius, Feudi,*

E 2

exa-

*examen pertinere.* Firmiter inculcat Imperator mentibus, & in memoriae Ordinum Imperii thesaurum judicat reponi, & per Orbem omnem habitabilem diffundi; ut liquidius innotescat, causam istiusmodi ad se, & Pares Curiæ (qui vero illi sunt, praeterquam Electores ipsi?) pertinere. Quidni potius pertineat ad Collegas Electores consultatio, Collegæ novi adoptandi? Velut etiam ad Principes Imperii, novellum Principem recipiendi. Neu vero aliquis causetur isto adhuc seculo non alligatos Cæsares Septemvirali sanctioni (quam *Capitulationem* vulgo nominant) fuisse; Ostendant, doceant contradicentes, quæ lex publica Imperii, corroborata sacramento fidei, quod Pacis Instrumentum, adimat Imperatori & Collegio Electorum Augustali potestate, si necessitas, & salus patriæ (suprema lex) potissimum requirat, nullum reliquis adiungere in posterrum Collegam? Confunduntur diversissima, quæ à nonnullis allegari solent sine omnium Imperii totius Ordinum consensu, qvæ gavisa per tot seculorum seriem Electorali dignitate fuit,

fuit, Domus Palatina, axiomate acditionibus si-  
mul non debuit, nec voluit privari penitus, ac  
in perpetuum, aut sine horum approbatione,  
novus & Octavus, Capite membrisque Princi-  
palibus, quantumvis à posteriori plenè de-  
mum suffragantibus, non introduci potuit E-  
lector. Prius actitatum in Panegyri (sed non  
Comitiis Imperialibus,) tot Legatorum legi-  
mus. Posteritas mirabitur, hæc dici speciose,  
imò credi potuisse à quibusdam Sapientibus,  
inductis odio invidiaque contra bene meritos,  
imprimis Evangelicæ Confessionis Principes,  
rem inauditam Orbi & intolerabilem, Ordini-  
bus professis libertatem, in Imperio patra-  
tam. Videant, ne Numinis irritent patienti-  
am, his ad discordiam, hoc turbulentō tempo-  
re, sententiis vulgatis! Videant, quo futuri, aut  
præsentes, jam tūm loco haberentur, si, quod  
unicè optabat, etiam obtinuisset, Rex Magnus,  
Ludovicus, ut Coronæ Gallicæ Imperium an-  
nexum, vel obnoxium Romanum esset, Au-  
striorum inclytâ familiâ deletâ; quod averrun-  
casit in perenne Deus! Illa certè cudebatur fa-

F

ba,

ba, ut exuviae, Leone nondum victo, inter Christiani nominis osorem, alterumq;e defensorem scilicet supremum, partirentur, & Germania Gallorum atq;e barbarorum fieret appendix; cum obsidione pressa, ante hoc decennium, Vienna est. Agamus Numinis benigno immortales gratias, qvòd Capiti, qvòd universo Corpori, ac Imperio Germanorum Sacratissimo, potenti manu adfuit, & contra mille machinationes aderit in posterum! Inspiret idem singulis Ordinibus communem animorum omnium consensum! ut concordiā res nostrae, toties qvassatæ, aut amissæ, crescant; & experiantur hostes, Deo adhuc curæ afflictissimos Germanos esse. Cumq;e in præteriti doloris recordatione æquiorem esse decat, precamur omnibus, à bonitate Principum nostrorum alienis, prosperos, pro Dei gloria, salute Patriæ cuiuslibet, successus; ut efficiant, ne tam immodice, qvod fecit haec tenus, triumphet incubus Germaniæ Rex Gallus, & intemperanter porrò se effundat! Deniq;e hoc unum mihi superest, & me religio loci hujus adm-

monet, ut gratias MAGNIFICO RECTORI, Circ.  
Electoralis Præsidi Excellentissimo, Per illustri-  
bus Generosisimisq; ve LL. Baronibus, Patribus  
deinde Academicis Conscriptis, Auditoribusq;  
Honoratisimis in universum agam , pro hoc  
beneficio, aut officio, in me collato. Providen-  
tiam Cœlestem supplex veneror ac oro, ut, qvæ  
vota exaudivit, pro felicitate Domūs Potentissi-  
mæ HANNOVERANÆ, audiat non minùs,  
qvæ pro incolumitate ejus nuncupo jam, pari  
pietatis studio.

TUERE. GRATIAM. TUIERE. GLORIAM.

PERENNEM. HANC.

O GLORIOSE. DEUS. GRATIOSE

LEOPOLDE.

CÆSAR. DEO. PROXIME.

QVI. TE. PRÆSIDEM

TOTIUS. DECLARASTI. OPERIS.

CONSTANTER. ADSERE.

NON AMPLA. AUT. AMBITIOSA. VOTA.

SERVULUS CONCIPIO.

IMPERIO. SECURITATEM.

PRINCIPUM. SALUTEM. PRECOR.

DIXI.

xi per Ger  
Urbium, &  
simos à Ro  
peratores.  
solennis in  
Decembri  
simus,) efl  
religionis  
ac STATO  
SOLVAN  
INCOLU  
REDDIDI  
MUM &  
GAUDE  
RENO SI  
CTORAI  
SCAT DI  
DEVOTIS  
MUS PRE  
tūs ? aut à c  
go; dum di  
dine. An primūm gratuler de restituta coe  
litūs qvieta , qvam insidiarum mille artifex



omamq, Caput  
ropter antiquis-  
potissimum Im-  
eracta nondum  
pompa, (qvam  
Cæsar Augustis-  
na demum Lux  
geret. SATORI  
O GRATIÆ  
NÆ! QVOD  
QVE DIEM  
SEXAGESI-  
O HEROI!  
NISSIME! SE-  
DOMUI ELE-  
VE ILLUCE-  
LE FESTUM!  
TIS EXOPTA-  
me vertam pri-  
d parùm ambi-  
nunc multitu-  
dine. A

ab